

ter gratiam infundi, quod ingreditur rationem signi practici, & novæ legis Sacramenta essentialiter constituit. Matth. 18. Amen dico vobis, quacunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo, & quacunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo. Quæ quidem verba quod contineant Pænitiæ Sacramentum, docent communiter Concilia, & Patres, quos mox afferemus.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus.

Cœlestinus epist. 1. ad Episcopos Gallie.

Horremus tanta impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere, & periclitantem sub onere peccatorum hominem pondere, quo se expediti desiderat, liberare. Quid hoc rogo aliud est, quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere, cum Deus ad subveniendum sit paratissimus, & invitans ad penitentiam sic promittat: peccator, inquit, quacunque die conversus fuerit, peccata ejus non imputabuntur ei. Salutem homini admit, quisquis mortis tempore penitentiam ei denegaverit. Leo Magnus serm. 11. de Quadragesima cap. 4. Lapsos, & infidiam suam fraude deceptos, penitentia lacrimis ablui, & portas misericordiæ Apostolicæ Clavis referante, ad remedia reconciliationis admitti videt.

Et epist. 91. cap. 2. Multiplex misericordia Dei in lapsibus subvenit humanis, ut non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per penitentia medicinam, spes vite reparatur æternæ. Gregorius Magnus ad librum 1. Regum cap. 1. Qui quotidie delinquimus, quotidie ad lamenta Pænitiæ curramus, quia ipsa sola virtus est, quæ evacuat, quod in ventre animæ culpa coadunat. Et lib. 7. Moralium cap. 2. Per veram penitentiam, quovis multa & gravissima sint, peccata per misericordiam Dei facile relaxantur, & apud misericordiam suam leve est peccatum, quod relaxatur. Lib. 13. Moralium cap. 6. Quid in sacco, & cinere, nisi Pænitiæ? Quid in cute, & carne, nisi peccatum carnis debet intelligi? Cum ergo quidam post lapsum carnis ad penitentiam redeunt, quasi saccus super cutem consistit, & cinere caro operitur, quia culpa carnis per penitentiam tegitur, ne in districti Judicis examine ad ultionem videatur; Infirma autem mem-

bra sua sancta Ecclesia, cum a peccatis retrahit, atque ad Pænitiæ remedium ducit, hæc procul dubio stetitibus adjuvat, ut ad recipiendam auctoris sui gratiam, convalescant, & per sortes plangit, quod non fecit, quod in membris suis debilibus, quasi ipsa fecit. Et lib. 2. epist. 44. Tribunal Judicis æterni securus aspiciet quisquis reatus sui conscius, digna eum modo penitentia placare contendat. Gregorius Tertius de Pænitiæ in præfatione: Pænitiæ dicta est a penitendo, quod scilicet aliquis corde peniteat, & se peccasse coram Deo erubescat. Quia, Deo donante, nihil potest contra nos Diabolus in sua proficere nequitia, si purâ volumus agere penitentiam. Innocentius Tertius Serm. 2. in Solemnitate omnium Sanctorum. Quo circa, fratres, mundate cor vestrum, ut Deum videre possitis; cur autem mandandum est scopis illis, quibus mundata est domus, de qua esse Spiritus immundus exiit, quam postea scopis mundatam & ornatum invenit: bona scopa est Pænitiæ, bona Eleemosyna, bona jejunium, bona oratio, bona vigilia. Serm. 1. in Festo Conversionis Pauli. Nulla præ multitudinem & magnitudinem peccatorum desperet, quia Deus non solum recipit penitentes, verum etiam attrahit peccatores. Nam à diebus Joannis Baptista regnum Cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Nullus omnino desperet, quia Deus patiens, & misericors, & præstabilis super malitiam, suavitatis, & mitis, & copiosus in misericordia omnibus invocantibus se; quia non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. Et in Psalm. 1. Pænitentialem. Homo, qui cecidit per offensam, resurgit per penitentiam, ut per eum decimus Angelorum Ordo restauretur.

III. Probatur ex Conciliis. Concilium

Nicænum can. 19. ex Arabicis. Si quis ex iis, qui sine violentia, & periculo negaverunt, sicut illi, qui a Regibus, & Principibus Gentilium persecutionem patiebantur, persecte, & recto corde voluerint ad fidem redire, recipiendi sunt; sed oportet, ut non prius cum Fidelibus Communionem habeant, quam apparent, eos penituisse peccati sui, & tribus annis penitentiam inter audientes agant, & inter penitentes annis septem, & postea poterunt intrare Ecclesiam ad orandum cum populo. Conc. Cabilonense cap. 11. Penitentiam peccatorum, quæ est medela anima, utilem omnibus hominibus esse